

res consumpta, donata, etc. pertinet ad monasterium, inspicendum erit utrum istud sit opulentum an pauper vel mediocris condicionis. Insuper hujusmodi furta coalescunt ad efficiendam materiam gravem, sub iisdem restrictionibus et temperamentis quae (Vol. I. n. 510) de furtulis universe posita sunt.

2^o In ratione sacrilegii gravitas dijudicanda est e norma absoluta data (Vol. I. n. 507) pro peccatis furti. Etenim communiter admittitur tamquam principium "illam esse sufficientem materiam ad violationem gravem voti quae sufficit ad peccatum grave furti contra justitiam." (Lugo, de Just. et J. disp. 3. n. 170) Cujus principii rationem reddit Sanchez (in Decr. l. 7. c. 20. n. 3): "Quia hoc proprietatis peccatum se habet instar furti. Sicut enim in furto res usurpatur invito domino, ita, in peccato proprietatis, usurpatur invito Superiore, cui per votum paupertatis omnes suas actiones, quoad recipiendum, retinendum aut distribuendum aliquid pecunia aestimabile, religiosus subiecit." Haec autem norma ita intellegenda est ut materiae quantitas sit ex se sufficiens ad furtum grave, seclis peculiaribus circumstantiis personae adversus quam committitur: nam quatenus negligitur debita dependentia a Superioribus, parum refert utrum res usurpata pertineat ad pauperem an ad divitem, ad monasterium inops an ad opulentum. Sumenda est igitur quantitas absoluta, pro condicionibus locorum et temporum. Quare, nisi haec attingatur, non erit censendum grave peccatum proprietatis quo nulla aut levis injustitia committitur, puta si religiosus votorum simplicium alienat vel auget bona sua sine licentia, si sollemniter professus expendit pecuniam ea condicione acceptam ut monasterio non acquiratur, etc. Excipe casum quo regulae alicujus Ordinis statuunt minorem summam ad graviter laedendam paupertatem sufficere: votum enim intellegendam est juxta regulas quae ejus materiam determinant.

Probabilius rejiciendum est quod quidam AA. asserunt: opus esse in religiosis ad graviter peccandum quantitatem illam quae in filiisfamilias ad grave furtum requiritur. (Vol. I. n. 508) Nam prorsus alia est condicio filii ad bona paterna et religiosi ad bona conventus. Neque hic afferri potest eadem ratio, nempe dominum esse minus invitum erga religiosos quam erga extraneos: hic enim praesertim attendendum est detrimentum spirituale quod monasterio e talibus peccatis obvenit in uno e praecipuis religionis fundamentis. (S. Alph. n. 24) Idem adhuc magis patet in Ordinibus ubi (ut fit in Societate Jesu) universe declaratur graviter delinquere contra votum paupertatis eum qui, tamquam propriam, usurpet vel alienet summam quae furto sublata grave peccatum contra septimum praeceptum constitueret.

Hujusmodi culpa quae sint unice contra religionem probabilius non

coalescunt ad constituendam culpam gravem, nisi fiant cum animo perveniendi ad materiam gravem, puta ad magnam pecuniae summam quae absque licentia retineatur. (Ball. P. n. 141; Lugo, l. c. n. 181) Nam plura peccata levia contra religionem non coalescunt ad faciendum unum peccatum grave, sicut nec plura peccata levia contra castitatem et temperantiam. Deficit enim ratio ob quam coalescunt peccata levia contra justitiam, scil. grave damnum inferri proximo furtis praecedentibus una cum ultimo furto levi. Saepe autem abesse potest illa ratio injustitiae a parvis violationibus voti paupertatis, etiam in sollemniter professis, ut observat Lugo (l. c.), puta si expendunt in usum substantialiter diversum id quod in alium expendere poterant, si dant aliis domesticis ea quae cum licentia ipsi habent, si pecuniam aliasve res ab extraneis accipiunt et expendunt ita ut nullum detrimentum inde patiat monasterium.

Leviter tantum peccat religiosus qui sine licentia mutuas dat res sibi ad usum concessas, dummodo tutus sit de restitutione. (S. Alpe. n. 27)

§ 3. OBLIGATIONES EX VOTO CASTITATIS.

99. I. Duplex est materia proxima voti castitatis religiosae. Prior complectitur abstinentiam ab omnibus actibus venereis tum externis, tum internis, qui in solutis omnibus peccata sunt; posterior, abstinentiam a matrimonio contrahendo vel matrimonii jam contracti usu. Hanc esse hujus voti extensionem, et speciatim includi actus internos, patet praecipue ex universali ejusdem intellectu, cui voventes se conformare debent. Hinc sequitur tam late patere objectum voti quam virtutis castitatis, nec posse laedi virtutem hanc quin simul laedatur et votum. Itaque religiosus, qui actus venereos per se illicitos poneret, praeter reatum contra castitatem, sacrilegium committeret, grave vel leve, prout culpa gravis vel levis contra castitatem foret. Qui vero matrimonium contraheret vel legitime contracto uteretur, graviter contra solam religionem delinqueret.

Quanta sit voti religiosae castitatis efficacia ad impediendum vel dirimendum matrimonium, vide n. 473.

II. Castitati perfectius custodiendae Ecclesia legem clausurae adjecit: quae tum active, tum passive spectari potest, prout egressum religiosorum extra claustra vel ingressum extraneorum intra claustra prohibet. Hic unice agemus de egressu virorum Regularium extra claustra: nam ceteras clausurae partes, utpote censuris firmatas, commodius explicabimus in tr. de Censuris. (n. 599 seqq.)

Prohibitio exeundi extra conventum sine facultate Superioris servanda est Regularibus, non tantum ex regula, sed etiam ex consuetudine vim legis habente et pluribus ordinationibus RR. PP. sancita, ex. gr. Clementis VIII (Decr. *Nullus omnino*). Immo ex genere suo obligat sub gravi, siquidem in re magni momenti lata est ista Ecclesiae lex et sub gravibus poenis.

Gravis culpa contra hanc legem committitur in sequentibus casibus:

1° Si egressio simul est *furtiva*, i. e. absque licentia, et *nocturna*: nam iste casus reperitur inter eos quos Clemens VIII permisit ut omnes Superiores regulares sibi reservarent. (n. 342)

2° Si quis egredereetur cum animo diu et quasi stabiliter extra monasterium commorandi. (Pelliz. Man. Reg. t. I. tr. 6. c. 6. n. 11) Sed is jam fugitivus diceretur, saltem ex intentione.

3° Si quis per diem tam crebro egredereetur sine licentia, ut inde grave scandalum vel periculum notabilis relaxationis in disciplina religiosa oriretur. Adde: si prohibitionem infringeret ex contemptu. Liqueat tamen in his duobus casibus gravitatem per accidens advenire.

Plura alia de egressu illo statuerat Clemens VIII (Decr. cit.): ut nemo egredereetur nisi cum socio, licentia singulis vicibus impetrata ac benedictione accepta a Superiore. Sed jam multi e veteribus DD. (Pelliz. l. c. n. 4; Salmant. tr. 15. c. 5. n. 163 etc.) dubitant utrum haec habeant vim praeceptivam an mere directivam, eo quod in usu non essent. Quare haec nequeunt vi hujus decreti urgeri, nisi quatenus constat ea in desuetudinem non abiisse.

Quae de obligatione clausurae active spectatae modo dicta sunt, proprie ad solos Regulares pertinent. In Congregationibus religiosis. omnis obligatio deducenda est e regula et recepta consuetudine. (Ball. P. n. 158)

§ 4. OBLIGATIONES EX VOTO OBOEDIENTIAE.

100. I. Materia voti oboedientiae duplex est: regula et praeceptum Superioris, Breviter de utroque dicemus.

1° Votum oboedientiae ad *regulam* protendi, habet communior et verior sententia (2. 2. q. 186. a. 9), cujus ratio est: praelatum praecipere non tantum personali praecepto, sed etiam lege stabili quae per regulam proponitur. Manifestum tamen est non posse inde oriri majorem obligationem quam quae regula ipsa imponatur, ac proinde, si regula declaratur obligare tantum ad subeundam poenam, nihil amplius, vi voti oboedientiae, requiri quam ut poena a delinquente subeat. (n. 87)

2° *Praeceptum Superioris* intellegitur ejus voluntas obligandi subditum, sufficienter pro consuetudine cujusque Ordinis, manifestata. Haec

obligatio potest esse, sicut ipsius regulae, ad culpam gravem vel levem aut ad poenam tantum. In plerisque Ordinibus, ubi Superior utitur verbis: *Jubeo, praecipio* et similibus, tenetur religiosus sub levi oboedire; sub gravi autem non tenetur nisi cum Superior, in materia gravi, hanc suam voluntatem diserte exprimit, praecipiendo vid. *in virtute oboedientiae, in nomine D. N. J. C., sub poena excommunicationis*, vel aequè gravibus verbis. Quandoque mortaliter peccat religiosus non oboediendo, etiamsi praeceptum praelati per se non obliget sub culpa, vid. si illud transgrediatur e formali contemptu. Quod quondam contingat explicatum est Vol. I. nn. 108 et 348. Non raro speciales dispositiones de hoc argumento in constitutionibus quorundam Ordinum habentur. Sic in Soc. Jesu (Const. p. 6. c. 5), nullum Superioris praeceptum sub gravi vel sub levi obligat, nisi Superior aliquid jubeat in virtute oboedientiae vel in nomine D. N. J. C. Propterea tamen non adimitur Superiori jus praecipendi etiam aliis formulis sub gravi vel sub levi, dummodo clare exprimat suam voluntatem hujusmodi obligationem imponendi, neque praecipiat sub gravi in materia undecumque levi. (Sanch. in Dec. l. 6. c. 4. n. 70)

101. II. Praecipere potest Superior ea omnia et sola quae *explicite vel implicite in regula continentur*: nam oboedientia votetur juxta regulam. Implicite autem regula continentur ea omnia sine quibus res in regula expressae nullo modo vel aegre servari possent, ut sunt poenitentiae transgressoribus imponendae. Neque videntur excludendi actus interni: tum ob rationes datas (Vol. I. n. 92) de quacumque lege ecclesiastica, tum ob specialem voluntatem qua religiosus etiam quoad actus internos se ipsum subdere videtur. Multi tamen actus internos sub oboedientiam cadere negant, ex. gr. Lugo (Resp. Mor. l. 6. dub. 7).

Igitur Superior stricte praecipere nequit: 1° Quae sunt *contra regulam* (nisi Superior in ea possit dispensare et legitima causa dispensandi subsit), ex. gr. missiones apostolicae in Ordine qui in perpetua solitudine vivere debet. — 2° Quae sunt *supra regulam*, ut essent difficiliora vel austeriora quam quae regula praescribuntur, ex. gr. abstinentia Minorum imposita Fratibus Praedicatoribus, cura contagioso morbo laborantium praecepta iis qui curae corporali infirmorum ex instituto suo non addicuntur, etc. Attende tamen talia quandoque implicite in regula contineri, nempe quotiens necessaria sunt ad religiosae domus vel Ordinis incolumitatem aut famam, puta inservire sodalibus peste laborantibus. — 3° Quae sunt *infra regulam*, puta opera inutilia aut vana, qualia essent arborem aridam irrigare, aquam dolia pertuso infundere, etc. quamvis talia quandoque praecipere possint ex causa quae sit secundum regulam, ut mortificatio ex. gr. aut oboedientia exerceatur. (Ball. P. n. 175)

Igitur nullus est Ordo religiosus in quo materia voti oboedientiae comprehendat omnia licita, cum in singulis oboedientia voveatur non illimitate et absolute, sed secundum regulam. Atque ita sentit S. Th. (2. 2. q. 104. a. 5. ad 3), qui triplicem oboedientiam distinguit: necessariam " quae oboedit in his ad quae obligatur; „ perfectam " quae oboedit in omnibus licitis; „ indiscretam " quae etiam in illicitis oboedit. „ Hinc manifestum fit latius patere virtutem quam votum oboedientiae. (1)

102. III. Religiosus nec debet, nec potest oboedire praelato praecipienti rem *manifeste* illicitam. Quodsi quandoque talia a sanctis viris praeccepta aut executioni mandata sunt, id vel speciali inspirationi vel ignorantiae invincibili adscribendum. Cfr. dicta in argumento simili. (Vol. I. n. 361) Pariter, si certum est Superiorem non habere jus aliquid praecipiendi, ex. gr. quod sit supra regulam, non tenetur subditus ad oboediendum.

Manet vero obligatio oboediendi, si *negative tantum dubitatur* num id quod praecipiatur sit licitum vel sub votum cadat: nam Superior exigit jus suum et in dubio melior est condicio possidentis. Idem dicendum, etiamsi subdito *probabile* est rem praecceptam esse illicitam. Nam Superior habet jus praecipiendi id quod probabiliter licitum est, non obstante contraria probabilitate, ac proinde justum est ejus praecceptum; praeccepto autem justo parendum est. Excipe casum quo res praeccepta sit valde difficilis et molesta, vel subditus grave damnum sibi vel tertio e praeccepti impletione timeat. Ratio est, quia subditus non tenetur se aliumve privare jure certo quod possidet ad conservanda bona magni momenti, ne Superior privetur sua possessione quae in eo casu est aliquo modo incerta. (S. Alph. n. 47)

IV. Si rigor primaevus regulae a competente Superiore vel Capitulo restauratur, religiosi qui sub observantia laxiore professi sunt certo tenentur ad **reformationem** subeundam, quotiens haec apparet medium necessarium ad Ordinis conservationem, nempe si cum praesenti observantia paucissimi ad religiosam perfectionem pervenire studeant, vel si tanto scandalo saecularium vivant ut expediret potius religionem dis-

(1) Multi AA. Franciscani, quos citat et sequitur Piat. (op. cit. t. I. p. 288), opinantur in suo Ordine oboedientiam necessariam extendi ad omnia licita, eo quod in regula FF. Minorum (c. 10) mandatur ut oboediant " in omnibus quae non sunt contra regulam vel animam. „ Atque idem de Soc. Jesu opinatus est Lessius (de Just. et J. l. 2. c. 41. n. 75), eo quod in Constit. Soc. (p. 3. c. 1. § 23) dicitur oboediendum esse " in omnibus rebus ubi peccatum non cerneretur. „ Sed haec rectius videntur explicari de oboedientia perfecta, ob rationes allatas et alias quas videsis ap. Suar. (de Rel. tr. 7. l. 10. c. 8. n. 5 seqq.)

solvi quam ita continuari: id enim implicite in oboedientia promissa continetur. Quodsi talis necessitas non apparet, probabilius non tenentur antea professi reformationem accipere: quia juxta praesentem statum potius quam juxta pristinum institutum professi sunt. (S. Alph. n. 44) Scite tamen notat Lehm. (II. n. 538) ubique retrahi posse licentias, quae in usu quidem erant, sed quae, ex natura sua, semper manent arbitrio Superioris subjectae, ut supra dictum est de peculio. (n. 97)

103. V. Nulla nova obligatio inducitur praecise e sollemnitate voti oboedientiae. Quidam, ut Suar. (de Relig. tr. 7. l. 2. c. 13. n. 4), affirmant peculiarem effectum sollemnis voti esse quod ita subjiciat voventis voluntatem praelato ut, sine hujus consensu, inefficax sit ad omnem civilem vel naturalem obligationem per contractum vel alium quemcumque modum suscipiendam. Sed ad hoc discrimen intrinsecum admittendum videntur inducti sententia sua erronea de sollemnitate votorum. (n. 84) Reapse enim non apparet quare sollemniter professus nequeat promissiones facere quae non repugnent regulae aut praeccepto praelati, neque obsequio illi debito, sicut vota Deo offerre sub iisdem conditionibus potest. (S. Alph. n. 48) Possunt quidem hujusmodi contractus et vota irritari a Superiore: sed idem valet etiam in iis religiosis votorum simplicium in quibus Ecclesia veram religiosi status essentiam agnoscit. Manet igitur inter votum sollemne et simplex discrimen mere accidentale et extrinsecum: nempe prius multo difficilior a R. P. solvi quam posterius.

VI. Ex oboedientiae voto parendum est Superioribus proprie dictis, etiam localibus. Hi tamen singuli sunt in singulis domibus religiosis; ac proinde subordinatis officialibus non debetur oboedientia vi ipsius voti, saltem regulariter et propter officium: non enim repugnat quominus jus exigendae oboedientiae vi voti ipsis tribuatur per specialem constitutionem vel Superioris delegationem. (Suar. tr. 7. l. 10. c. 11. n. 18 seqq.) Hujusmodi ergo officiales regulariter sub peccato praecipere nequeunt. Nihilominus posset religiosus mortaliter peccare dum eis aperte resisteret, dicendo ex. gr. *Non oboediam*, quia his similibusve verbis confineri potest et regulariter continetur gravis contemptus Superioris. (Lugo, de Poenit. disp. 20. n. 48 seqq.)

Pariter tenentur moniales oboedire Superiorissae suae vi voti oboedientiae, ac proinde ista in virtute sanctae oboedientiae praecipere potest: nihil enim obstat quominus mulier habeat potestatem dominativam quae voto oritur, licet jurisdictionis non sit capax. (S. Alph. n. 52)

104. VII. Non parum discrepant AA. in determinanda malitia **inoboedientiae** seu peccati quo strictum Superioris praecceptum violatur.

Qua in re praesertim considerant praeceptum praelati qui, ut fit in Ordine Regulari, una cum potestate dominativa pollet potestate jurisdictionis quae ipsi a R. P. communicatur. Ex dicendis tamen facile patebit quid sentiendum sit de praecepto eorum qui jurisdictionem non habent, quales sunt Superiores in Congregationibus non exemptis et Superiorissae.

Igitur probabilius in tali violatione regulariter non habetur nisi una malitia, scil. contra religionem et fidelitatem erga Deum cui principaliter factum est votum. Addunt multi cum Suar. (de Rel. tr. 7. l. 10. c. 2. n. 5) malitiam contra justitiam, ob promissionem et traditionem factam praelato. Sed verius putamus, cum Lugo (Resp. Mor. l. 6. dub. 7. n. 10), a mente promittentis oboedientiam longe esse ut ita ex justitia se obliget erga Superiorem: quod logice etiam requireret restitutionem, si quis contra oboedientiam peccasset. Neque praelatus censendus est velle simul obligare e potestate jurisdictionis nisi id clare exprimat: ne frustra multiplicentur peccandi pericula. (Suar. l. c. c. 6. n. 6)

Quodsi aliquid praecipitur per potestatem jurisdictionis, certum est violationem accipere speciem a virtute ad quam spectabat res praecepta: ac proinde omissio jejunii ita praescripti erit peccatum contra virtutem temperantiae. Censendus est autem Superior praecipere vi jurisdictionis, quotiens praecepto addit poenam quam ex illa potestate tantum injungere possit, puta suspensionem. In isto autem casu, probabiliter opinantur plures (Suar. l. c.; Sanch. in Dec. l. 4. c. 11. n. 25) Superiorem nolle simul urgere obligationem ex voto: ne frustra multiplicentur vincula. Verius tamen censemus cum Lugo (de Poenit. disp. 16. n. 172) repugnare ut praelatus subdito suo imponat praeceptum strictum quin eum ex voto oboedientiae obliget. Nam per hoc votum Deo promisit religiosus se non esse transgressurum praelati praecepta; ac proinde repugnat ut violet praelati praeceptum quin simul violet votum oboedientiae.

CAPUT V.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM.

105. Argumentum istud latissimum pluribusque controversiis obnoxium Canonistis relinquemus, cum directe ad forum externum pertineat, neque breviter ea qua par est perspicuitate tractari possit. Conferri potest S. Alph. (Append. de Privilegiis, c. V) vel Piatius (op. cit. t. 2. pars V). Quae passim de hoc argumento explicantur in praesenti opere, recenset Index Analyticus ad v. *Privilegia Regularium*.

Pauca tantum addemus de praecipuo Regularium privilegio, nempe de eorum exemptione: cujus naturam breviter explicavimus Vol. I. n. 97.

Gaudent exemptionis privilegio omnes Regulares, etiam Novicii. Attamen conventus, post annum 1625 fundati, in quibus pauciores quam duodecim religiosi actu habitant, Ordinarii loci visitationi, correctioni atque omnimodae jurisdictioni subjiciuntur ex decreto Urbani VIII. (ex S. C. C. 21 Junii 1625) Verum, ex benigna concessione episcoporum, parvae domus Regularium saepe sibi permittuntur perinde ac majores. Ita diserte concessum est in pluribus dioecesibus Belgii. Videsis Stat. Mechl. n. 155. In locis autem missionum nullus numerus requiritur ut Regulares exemptione fruantur. Nam Leo PP. XIII Const. *Romanos Pontifices* (8 Maii 1881) declaravit: "Regulares qui in residentiis missionum commorantur exemptos esse ab Ordinarii jurisdictione, non secus ac Regulares intra claustra viventes, praeterquam in casibus a Jure nominalim expressis, et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem." Haec constitutio, pro Anglia et Scotia edita, postea, petentibus Patribus Concilii Baltim. III, ad Status Foed. Amer. extensa fuit, immo quoad praesens argumentum, disciplinam in cunctis missionum locis vigentem exhibere videtur.

De exemptione monialium hic nihil dicemus: siquidem in his regionibus vota sollemnia edere non solent. Cfr. n. 85. Religiosis vero votorum simplicium idem privilegium non competit, nisi fuerit iisdem diserte concessum, ut contigit Passionistis et Redemptoristis.